DE

TINEA CAPITIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXVII. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXXVIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ROBERTUS DIETRICH

SAXO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

J. SCHMUNDT, MED. ET CHIR. DR.
J. LESKE, MED. ET CHIR. DR.
A. TILLICH, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

SUMME VENERABILI, GRAVISSIMO, AMPLISSIMO

C. KIRCHNER,

THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI, GYMNASII PORTENSIS DIRECTORI, PROFESSORI PRIMARIO, ORDINIS REGII DE AQUILA RUBRA EQUITI ETC.

NEC NON

VIRO

PLURIMUM REVERENDO, DOCTISSIMO, HUMANISSIMO

J. CH. STUCK,

ARTIUM LIBERALIUM MAGISTRO, APUD LAVERTITZIENSES VERBI DIVINI MINISTRO

FAUTORIBUS, BENEVOLENTISSIMIS, MERITISSIMIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Tinea capitis, seu Porrigo, peculiare est exanthema, quod cutem cranii occupat. Antiquissimis temporibus opinio alebatur, omnes efflorescentias in capite obvias ab iis, quae in aliis corporis partibus sedem habent, valde abhorrere et toto quasi coelo distare. Alibert etiam, nostri aevi auctor, omnes cutis morbos in eos sejungit qui caput obsideant (teignes), et eos, qui ceteras corporis partes adgrediantur (dartres). Rectius viri celeberrimi Willan et Biett simul cum sede morbi primarias efflorescentiarum cutis formas respexerunt et inde divisionem desumserunt. Nam omnino sedes morbi plurimum facit ad exanthematis habitum, faciem externam et decursum. Ita scabies saepe in cute solida et arida papuliformis, in cute laxa et tenera vesicularis, in cute pastosa, succulenta, pustulosa emergit, quamquam morbus idem est. Ita in latere extensorio eadem affectio morbosa papulas et vesiculas tantum progignit, dum in latere flexorio pustulae prorumpunt. Praecipue autem in cute cranii id locum habere, perspicuum esse videtur, quia densior est et minori gaudet panniculo adiposo, quam reliqua cutis, quia crinibus obtegitur et multis pilorum

bulbis instructa est. Tineam capitis igitur peculiarem esse morbum, dictis argumentis evinci posse arbitror.

I. DIVISIO, SYMPTOMATA ET DECURSUS.

Haudquaquam vero omnis in cranii cute efflorescentia tineae nomine insignitur. Exanthemata acuta, ut morbilli, scarlatina etc. non parcunt pilosae capitis parti, quod ex subsequente defurfuratione et desquamatione cutis cranii et ex frequenti capillorum defluvio post hos morbos perspicitur; nemini tamen in mentem unquam venit, hanc affectionem a primario morbo disjungere et tineam capitis vocare. Pari modo et affectiones chronicae, ut Lichen (1), Pityriasis, Psoriasis, Lepra et aliae efflorescentiae caput infestantes proprias tinearum species non constituunt, sed quaevis suo utitur nomine.

Morbi ii, qui proprie tineae nominantur, primariam et characteristicam formam habent pustulosam. Hae vero pustulae jam antiquitus in favos et achores dividebantur, qui tamen saepissime confundebantur, ita ut alii favos dicerent, quos alii nomine achorum significabant. Factum hoc esse videtur maxime ex notione vocis favus; aliis similitudinem favorum magis ad formam crustarum, quas inspiciebant, referentibus, aliis magis ad formam ulcerum ipsorum. Sed utcunque fuerit, id quidem constat, hanc confusionem etiam apud nostrae aetatis scriptores inveniri; nam qui viris celeberrimis Alibert et Biett achores, Willano et Batemano favi sunt; contra quos

---

(1) Persaepe illa forma in capitis cute existit, quam illustrissimus Willan nomine Lichenis pilaris describit. Haud raro enim singuli capilli squamulis circumdantur, disci formam exhibentibus, quae ex papulis in pilorum radicibus oriuntur.

Willan et Bateman achores dicunt, Alibert et Biett favos denominant. Hanc igitur litem dirimendam viris doctioribus derelinquam; mihi autem eo usque nomina haecce vitare licebit, cum res eadem maneat.

Propter permagnam in tinea dividenda diversitatem et discrepantiam scriptores complures, quasi irati aut desperantes, omnem accuratiorem distributionem miserunt et tantum tineam benignam et malignam assumserunt.

Alibert quinque species describit: tineam favosam, granulatam, furfuraceam, amiantaceam, mucosam. Cazenave et Schedel habent porriginem favosam, annularem, larvalem, granulatam. Willan et Bateman discernunt porriginem furfurantem, lupinosam, scutulatam, decalvantem, favosam.

Non hujus loci est, has divisiones accuratius dilucidare, sed statim ad eam me convertam, quam duce praeceptore Celeberrimo Barez sequar. Quatuor igitur potissimum tinearum species statuendae sunt: tinea furfuracea, mucosa, granulata, favosa. Quibus describendis nunc operam navabo.

1. Tinea furfuracea.

Morbus capitis est rarior, quem Biett nostra aetate ex serie tinearum relegari et Eczema chronicum appellari voluit. Sed ideo hoc minus rectum esse videtur, quod primaria tineae furfuraceae forma non tantum vesicularis, sed saepe etiam pustulosa obvenit; in reliquis quidem multa cum eczemate chronico similitudo offertur, sed pustulae illae tineam vindicare videntur.

Tinea furfuracea, uti dictum, parvis e vesiculis aut pustulis originem capit, quae granuli fere magnitudinem

habent, albidae vel subpellucidae sunt, parcam fluidi copiam continent, pruritum satis vexantem efficiunt et mox rumpuntur: quo facto contenta effunduntur et aëris accessu exsiccantur in tenues lamellulas albidi aut grisei coloris, quae medium tenent inter squamas et crustas. Quae efflorescentiae mox iterum iterumque repetuntur et affectio morbosa latius propagatur; simul furfuraceae illae squamulae et lamellae, quae post tempus aliquod ultro sedem, cui inhaerebant, relinquunt, valde augentur et per crines delabuntur. Interdum tamen squamulae non plane arescunt, sed madent, viscidoque fluido capillis adhaerent, qui ipsi conglutinantur et post longius breviusve tempus secundarie afficiuntur, rariores fiunt, colorem mutant, aridi et naturali nitore carentes apparent, imo interdum defluunt. Cutis aegrotans, quae ablata squamula cernitur, leviter inflammata, colore roseo, epidermide orbata et post longiorem morbi decursum splendida et quasi chartae pergamenae similis apparet. Haec tinea partem capitis posteriorem eligere consuevit.

Admodum raro tineae hujus varietas est tinea amiantacea, seu asbestina, quam primus Alibert descripsit. Mihi quidem nunquam eam observare contigit. In hac capilli aut circa radices tantum conglutinantur, ut fasciculi formentur, aut a radice usque ad apicem lamellulis griseo-fuscis implicantur, quae superficie insignes laevi et plana et splendore argenteo vel asbestino, fere semper siccae et sine foetido odore exstant nitentesque ex capite decidunt. Pruritus fere semper adest. Haec tinea, tantum in adultis obvia, anteriorem capitis partem amat.

2. Tinea mucosa, seu muciflua.

(Porrigo favosa Willan, Porrigo larvalis Biett).

Haec tinea exhibet pustulas valde confertas, planas, molles, e flavo albescentes, ambitu irregulari, acerrimo stipatas pruritu, areola rubra exigua circumdatas, fluidi viscidi magnam copiam continentes. Plerumque propter pruritum scabendo lacerantur, aut sponte aperiuntur; quo facto larga illa materia proruit et inter crines effusa crustas viridi-flavas aut flavo-fuscas, semipellucidas, humidiusculas, format, quibus capilli conglutinantur et sub quibus cutis plurimis ulcusculis obtecta est. Inde perpetuo fluidum indolis supra dictae effluit. Munditie neglecta admodum magna cranii pars crassissimis crustis flavo-fuscis induitur, quae pediculis mirifice multiplicatis tutissimum tectum praebent. Aucto eam ob causam pruritu rodenteque dolore scabendi necessitas augetur, scabendo autem inflammatio et ulceratio ingravescunt; hinc secretum in pejus vertitur et odorem malum, rancidum acquirit. Interdum etiam tela cellulosa cuti subjecta passim inflammatur atque parvos, circumscriptos puris focos format, qui interdum quidem resorbentur, sed saepe tam pertinaces sunt, ut cultro incidi debeant. Quando crustae cataplasmatis emollientibus satis frequenter amoventur, cutis paulum inflammata levibusque excoriationibus tecta invenitur, in qua plurimis ex stigmatis viscidum fluidum scaturit. — Ubi morbus per longum tempus perstitit, interdum capillorum nutritio turbatur et deleto denique morbo calvities restat, quae tamen temporaria tantum est, nam cutis normalem retinet adspectum et structuram, neque pilorum bulbi extincti sunt, e quibus mox novi, prorsus sani, crines progerminant.

3. Tinea granulata.

(Porrigo scutulata Willan, Porrigo granulata Biett). Haec affectio se prodit pustulis exiguis, inter capillos dispersis, quae pisi magnitudinem raro assequuntur et colorem albidum, lurido-flavescentem, formam autem magis conicam, quam semiglobosam, prae se ferunt. Ex medio apice cujusvis pustulae pilus provenire solet.

Post duos vel quatuor dies post eruptionem contenta pustularum, aut sponte aut scabendo ruptarum, profluunt et, uti in tinea mucosa, viscidum, pellucidum largissimumque humorem praebent. Posthac etiam copiosa massae illius exstillatio ex superficie affecta perdurat, qua crines propinqui madent atque conglutinantur.

Crustae inde formatae post tempus aliquod exsiccatione fiunt durae, asperae, inaequales coloremque assumunt fusco-griseum. Deinde superficies earum quasi rumpitur, particulae siccae, fragiles solvuntur et partim ex capite decidunt, dum eae particulae, quae crinibus inde ab initio, ubi crustae formabantur, conjunctae sunt, iisdem etiamnunc irregulares granulisque similes adhaerent et habitum asperum rigidumque praebent. Bene Alibert formam harum crustularum, ex qua nomen morbi desumtum est, cum frustulis calcis arenatae comparavit.

Aegroti pruritu vehementi laborant; sed quia omnis tactus loci affecti magnos plerumque dolores efficit, non audent scabere. Pediculi inter crustas ingenti numero nascuntur molestiasque intense adaugent. Capilli, quamvis conglutinantur, nunquam depascuntur; cutis enim, quamquam valde inflammata et irritata est, ulceratione tamen non deletur, sed apta adhibita therapia servataque munditie, secretio cedit et defurfuratione morbum excipiente finitur. Interdum, ubi squalores cumulantur

pediculique tam numerosi adsunt, crustae fluidumque exstillans pessimum foetorem spargunt,qui vel per totum cubiculum dimanat. Nequaquam tamen, quod multi contenderunt, specificus hic odor est: nam quando aegroti debitae munditiei indulgent, nunquam invenitur.

4. Tinea favosa.

(Porrigo lupinosa Willan, Porrigo favosa Biett). Haec species, quam veteres jam bene distinxerunt et recte pro maligna habuerunt, nomen duxit a similitudine cum apium favis. Porriginis lapinosae nomen a similitudine cum seminibus lupini desumtum est.

Morbus hic satis frequens ex pustulis orditur admodum parvis, flavo fuscis, non prominentibus, sed sub epidermide quasi abditis, quae semper capillorum singulorum radices circumdant. Brevi tempore parva fluidi, quod continent, flavi copia coagulat et adhibita lente primo statim tempore impressio centralis in iis observatur, ex qua pilus emergit. Postea haec impressio oculis etiam inermibus cernitur, nam simul cum crustis crescentibus et illa crescit coloremque flavum amittit. Formam autem fere rotundam et crustae et impressiones centrales retinent, unde fit, ut annulus quasi impressionem quamque circumdet. Ubi vero annulus conspicitur, cutis rubet et aliquantulum prominet, ita ut vallis quasi formetur, cujus medio loco pilus implantatus esse videtur. Materia, quae annulo includitur, primum fluida, deinde sicca evadit et in pulverem flavum sulphuri similem vertitur. Annuli superficies initio glabra, postea inaequalis evadit, quod epidermis eum obtegens variomodo rumpitur, unde fit, ut crustarum forma non mutetur. Crustae a cute vicina strictis limitibus segregantur et speciem prae

se ferunt, tanquam ex profunda cute ortae, rupta epidermide succreverint, vel tanquam ex cute pars circularis excisa locoque ejus crusta plantata sit.

Singulae pustulae segregatae et sejunctae, rarissime tantum agminatae exstant. Quaevis earum areola rubra, inflammata circumdatur, unde pruriens rodensque dolor efficitur, qui semper hunc morbum comitatur. Ex pustulis crustae incrementum capiunt et sensim volumine augentur; tandem earum margines cum vicinis crustis coeunt et majores massas crustaceas constituunt, quae primo tempore perspicue primarias illas depressiones retinent, et formam alveolarem, qualis in favis apium conspicitur, repraesentant. His massis interdum major cranii pars, vel totum caput occupatur.

Tum vero in media parte depressiones illae alveolares non ubique observari possunt, partim quod superficies crustarum ab aegrotis multum scabebatur, partim quod pressione, quam singulae crustae inter se exserunt, formatio regularis impedita est, partim quod extrema crustarum facies rimis exsiccatione ortis destruitur. Quod quando obtingit, lotionibus emollientibus crustas removeri et novam pustularum eruptionem exspectari oportet, in qua semper decursum supra descriptum observabimus.

Hoc exanthema admodum fastidioso odore excellit, quem Alibert, quamdiu crustae capiti inhaereant, cum odore urinae felinae comparat; ablatis autem crustis paulo diversum, tamen maxime ingratum molestumque esse dicit.

Capilli singuli pustularum calices perforantes statim ab exordio cuti laxe inhaerent et facile extrahi possunt, quo facto bulbum cujusvis pili tumefactum et in extrema radicis parte punctum nigrum cernere licet. Ceterum capilli post tempus aliquod sponte defluunt et gla-

bram splendidamque cutem relinquunt, in qua aut nulli aut valde alienati crines, albidiores et tenuiores, et quasi lanuginosi nascuntur.

Hoc gravissimum malum aeque pertinax est, ac molestum. In quibusdam casibus, praecipue ultra pubertatem protractis, ungues etiam secundarie affici, Murray (1) observavit. Ungues deformes fiunt, colorem normalem perdunt et resecti aliquid fluidi effudisse dicuntur.

Varietas aliqua tineae favosae est tinea annularis (Ringworms of the scalp). Haec initium capit ex pustulis parvis, flavescentibus, in peripheria loci affecti frequentioribus, quam in centro, conglomeratis, non, ut plerumque in tinea favosa, segregatis. Mox contenta earum effluunt, tenuesque in crustas concrescunt, quae nova materia effusa amplificantur et exsiccatione indurescunt. Sub iis areola rubra in cute conspicitur, in qua pustulae illae cum multo pruritu et dolore formantur; crustae formam annularem exhibentes depressionem centralem habent, cujus e medio loco crinis prodit. Post complures tantum eruptiones et magnitudine et crassitie augentur, imo adeo altitudinem duorum pollicum assequuntur, postremo singulae confluunt et totum caput obtegunt. Tum vero post tempus aliquod tantum in peripheria formae primariae vestigia conspiciuntur, dum crustae semicirculares aut quartam circuli partem aequantes restant, depressiones alveolares autem ex superficie totius massae crustaceae disparent, marcidaeque particulae caementi frustulis similes dissolvuntur. Statim ab exordio capilli eo loco, ubi exanthema erupturum est, rariores inveniuntur; deinde, postquam erupit, reliqui apparent aridi, nitore suo carentes, fragiles saepeque in apicibus bifidi. Calvities insanabilis saepe est sequela morbi, qui in hoc, ut in omnibus fere, cum tinea favosa

(1) Murray opuscula tom. II. N. 6.

congruit, quod etiam prognosis, causa et curatio demonstrabunt.

Tinea favosa ac tinea annularis contagiosae sunt.

II. AETIOLOGIA.

1. Causa proxima. Primum semper inflammatio loci affecti adest, quae in suppurationem, secundum nonnullos autores etiam in exsudationem abit. Morbi primarii varii esse possunt, duo frequentissimi sunt: aut dyscrasia scrophulosa adest, cujus symptoma tinea existit; aut abundantia morbosa humorum corporis, qui in capite tinea affecto secernuntur, subest. Hoc magis in tinea mucosa, illud magis in favosa obtinet.

Chemicae disquisitiones virorum clarorum Vauquelin et Gabel docuerunt, in tinea favosa gelatinae minorem copiam, quam albuminis, secerni; in tinea furfuracea plus gelatinae, quam albumen; in tinea granulata tantum gelatinam secerni. Nihil tamen certi inde concludi potest. Pari modo sectiones cadaverum nihil demonstraverunt, quam phlogisticam integumentorum capitis intumescentiam, magis minusve ad cranium usque propagatam.

Tineae favosae tamen et annularis bulbi capillorum sedem formare videntur; haec organa igitur inflammantur, intumescunt, degenerant morbosaque secreta edunt. Duncan, Hecker, Underwood, Luxmore hoc demonstraverunt. Nam quaevis pustula capilli radicem circumdat; capilli ipsi prorsus alienantur, aridi fiunt, attenuantur quasi et apices ultro finduntur; quae res luculenter morbum bulborum ipsorum indicant; sanatio etiam omnibus extractis capillis inducta idem probat; quando enim haec curatio serotina est, morbus quidem aeque sanatur, sed capilli non regenerantur, quia tum pilorum bulbi, inflammatione et degeneratione prorsus depravati

aut deleti, functioni capillorum procreandorum non amplius praeesse possunt. Reliquarum tinearum cutis ipsa sedem constituit.

Novissime vir experientissimus Mahon novam de tineis theoriam exhibuit, hanc secundum causam proximam statuens divisionem: I. Morbi folliculorum: a) Favus, b) Squarus tondens. II. Morbi vaginae capillorum: Amiantus. III. Achores: a) A. furfuraceus, b) A. mucifluus, c) A. granulatus. IV. a) porrigo lactuminosa, b) porr. membranacea. Distinguit igitur tineas, quae in hypertrophica singularum cutis partium evolutione cernantur, nempe tineam favosam, squarum tondentem et tineam amiantaceam; et quae in nimia retis vasculosi, in cranii cute positi, secretione constent, nempe tineam granulatam et mucosam. Secundum hos igitur auctores causa proxima tineae furfuraceae est solito frequentior et celerior epidermidis solutio et regeneratio; causa proxima tineae mucosae secretio et ejectio lymphae superantisque gelatinae; causa proxima tineae granulatae etiam secretio lymphatica, quae tamen magis ad sanguinis systema spectet; causa prox. tineae amiantaceae hypertrophica vaginarum capillorum elongatio, quae normali cutis conditione non prominent; causa prox. tineae favosae inflammatio peculiarisque et dyscratica folliculorum sebaceorum degeneratio.

2. Causae praedisponentes. a) Constitutio hereditaria. Interdum, sed raro, praedispositio ad tineas, quibus parentes aut nutrices laborant, infantibus implantatur et in sanguine quasi, uti in multis fieri solet morbis, primum mali germen deponitur, quod demum citius vel serius oblata causa occasionali in lucem emergit. Attamen rarius tantum tinea hereditaria per totas familias propagata invenitur.

b) Aetas infantilis et puerilis, praecipue post lactationem usque ad annum sextum septimumque, maxime omnium opportuna est ad tineas, quare hac aetate longe plurimi casus morbi nostri obveniunt. Nihilominus omnes hujus mali species etiam in adultis inveniuntur; tinea furfuracea saepius in adultis, quam in pueris; imo tinea amiantacea solis in adultis observatur. Lactantes fere sola tinea mucosa infestantur. Reliquae autem species, uti adnotavimus, puerilibus annis longe frequentissimae sunt. Causa hujus rei in eo posita est, quod hanc in aetatem et dentitio et cerebri evolutio cadunt, quae majorem multo, quam serioribus vitae temporibus, sanguinis ad caput affluxum necessarium reddunt, cujus turgescentiam et abundantiam nimiam natura per salutiferas illas exsudationes derivare et evacuare studet. Inde patet, cur tineae sat frequenter dentitione peracta, aut pubertate ineunte, ultro sola natura adjuvante sanentur, et cur celeberrimus Henke recte contendat, recentiori tempore inflammationes cerebri, hydrocephalum, encephalomalaciam atque eclampsias infantum multo frequentiores esse ideo, quod numerus tineis laborantium maxime imminutus sit. Aliis autem in casibus, ubi non justo major turgescentia adest, tamen facile vel minima causa occasionalis tineae alicui procreandae sufficit.

c) Sexus et temperamentum, quod ad frequentiam tinearum nullum discrimen constituere videntur; attamen in corporibus nigro, flavo, vel rubro capillitio munitis et temperamentis sanguineis et cholericis tinea favosa praevalet; corporibus capillamento fulvo ornatis tinea mucosa; in badiis vero tinea granulata saepius observatur. Ceterum haec etiam multum variant.

d) Dyscrasia scrophulosa prae ceteris causis frequens est; adeo ut tineae haud raro merum scrophuloseos sint symptoma, aut certe creberrime eam comitentur; quod

et glandularum praesertim cervicalium frequentissimae in tineis intumescentiae et reliqua scrophularum externarum vel internarum symptomata et cadaverum sectiones probant.

3. Causae occasionales. Huc pertinent omnia, quae nimiam reproductionem et nimias sanguinis ad caput congestiones aut efficiunt, aut augent, quae omnino diatheseos scrophulosae evolutioni favent. Talia sunt nimis larga, aut rudiora et dyspepta alimenta, magna infantium voracitas, lac matris aut nutricis nimis pingue, neglecta virium corporis exercitatio, vita magis sedentaria, calida capitis integumenta, capilli uberiores, non tonsi, suppressae epistaxes, diarrhoeae aliaeque salubres excretiones. Praeterea neglecta corporis capitisque cura, immundities, defectus balneorum, squalores inter capillos accumulati, pediculi etc. crebro occasionem tineis praebent. Apud lactantes etiam post animi motus matris et nutricum subito interdum tineae eruptio observatur. Occulta quoque in parentibus nutricibusve syphilis, qualiscunque sit, ansam tineae malignae erupturae praebet.

Atram bilem antiqui, uti in permultis cutis morbis, ita hic etiam accusaverunt; sed ex flavedine fluidi in pustulis contenti, vel crustarum inde formatarum statim de malo bilioso concludere, nimis temerarium mihi videtur. Tantum eatenus haec valent, quatenus saepe ex laesionibus functionum abdominalium tineae oriuntur.

Tineae favosae et annularis autem frequentissima causa occasionalis contagium fixum est. Sunt quidem auctores complures, qui negant tineam ullam contagiosam esse. Attamen experientia contrarium demonstrat. Nam infantes tinea laborantes contactu remotas corporis partes sibi inficiunt, ita ut pustulae in illis oriantur; ita nutrices in manibus et brachiis, quae diutius capitis contactu submittuntur, saepe simili pustuloso exanthemate

afficiuntur. Plerumque vero hoc contagium communi pectinum mitrarum et mappularum earundem usu propagatur, vel arctiori in ludis, in scholis commercio et inter somnum in lectulis communibus contactu immediato transponitur.

Quando contagium tineae favosae in singulis casibus non potest evinci, idiopathica ex aliis causis, praecipue ex immunditie malisve constitutionibus, origo morbi deducenda est.

PROGNOSIS.

Tineam praesertim mucosam et granulatam interdum pro salutari quasi naturae conamine habendam esse et bonae valetudini valde conducere, jam supra dictum est. Praecipue non est praetermittendum, eam haud raro uberius procedentem vegetationem et reproductionem ceteris corporis functionibus aequiparare. His igitur in casibus prognosis absolute bona est; natura sibi ipsa medetur. Sed non aeque bona reliquarum tinearum prognosis. Harum enim decursus semper fere diuturnus et pertinax est: maxime quidem hoc valet de tinea favosa et annulari; sed etiam mucosa, granulata et furfuracea non certo termino finiuntur. Quae si negliguntur, perniciosam in totum organismum vim exserere et per continuam eamque largam in capite secretionem virium labem, macilentiam et febrem hecticam procreare possunt, quae non solum infantibus, verum etiam aetate provectioribus ipsam mortem infert. Aliis in casibus corporis evolutio valde impeditur et retardatur, praecipue si scrophulosis simul adest. Praeterea capilli, nisi auxilium praestatur, per tineam favosam et annularem facile depascuntur, radicitusque devastantur, ita ut calvities insanabilis eas sequatur.

In animi temperiem diversae tinearum species, auctore Mahon, diversum effectum exserere dicuntur. Se-

cundum eum tinea mucosa et granulata, ubi bene procedunt, hilaritatem; tinea favosa tristitiam, morositatem, tandem stupiditatem; tinea furfuracea melancholiam efficit, aut comitatur.

CURATIO.

Tuto, cito et jucunde mederi, medici est. Sed summum locum tenet illud »tuto«. Nemo autem mirabitur, tinearum curationem nec cito, nec jucunde ubivis fieri posse. Nam aliis in casibus tinea capitis est morbus pertinacissimus, qui omnem et medici et aegroti constantiam atque patientiam fatigat; in aliis vero casibus morbus ipse est salutaris, qui nullo modo opprimi cito debeat. Eadem ratione jucunditas medelae haud semper praestanda, praecipue in tinea favosa propter contagiositatem ejusdem. Legibus enim vetitum est, ne pueri tinea favosa laborantes cum coetu et ludis sodalium commercium alant, atque ut a scholae consuetudine excludantur. Simul et pueri ipsi familiaritatem talium aegrotantium fugiunt et ab omni cum iis commercio abhorrent, quia morbi foedi eos taedet. Ita miseri tinea affecti, ab aequalibus repudiati, solitarii quasi et deserti ab omnibus sunt. Hinc reactio in mentem puerilem sequitur tristissima. Solitudo necessitate exacta fugat hilarem puerilem simplicitatem, procreat morositatem, animum secretum, obstinationem, odium, malignitatem, pravitatem et, quando diutius perdurat morbus, facile totam aegroti sortem futuram, in germine quasi veneno imbutam, subvertit. Quibus elucet, quam necessaria bona satisque efficax brevique tempore auxilians medela sit et quam grave officium medicus suscipiat, tineam curaturus.

Sunt recentiores etiam scriptores, qui remedia interna in curandis tineis, ut supervacanea, rejicienda esse censent, et in usu externorum tantum et localium acquiescunt; sed hi naturam morbi parum nosse videntur, ta-

lis enim ratio aegrotis perniciosissima est. Imo proximum est, ut internae respiciantur causae, et qualis nexus morbi sit cum universa organismi conditione, reputetur. Multis enim in casibus tinea directe non debet tolli, imo colenda et uberius provocanda est; hoc tum semper fieri debet, cum post imminutionem aliquam exanthematis valetudo aegri ullo modo, cephalalgia, congestionibus etc. turbatur. Atque hic vel levissima symptomata vetant, ne tinea tollatur.

Duplex autem maxime tineis medendi ratio, a morbi indole desumta et ab experientia probata exstat. Altera convenit in tineam furfuraceam et mucosam et granulatam, altera in tineam favosam cum annulari. Has deinde accuratius describam, jam vero de iis dicam, quae in curatione cujusvis tineae fieri debeant.

Quod causas internas attinet, primo semper loco respiciendae sunt. Ubi scrophulosis subest, antiscrophulosa, praecipue oleum jecoris Aselli, kali hydroiodicum, Jodum etc. adhibenda sunt. Ubi plethora universalis, reproductio nimis aucta, congestiones ad caput praevalent, methodus debilitans, evacuans, derivans administranda est. Laxantia salina, Rheum, Jalapa, Calomelas etc. interne data, sinapismi, vesicatoria perpetua, fonticuli, locis a capite remotis applicati, huic indicationi bene respondent. Diaeta fere semper parca et tenuis, victus vegetabilis, potus aqua sit. In lactantibus saepe lac nimis pingue vel copiosum culpandum est; his igitur nutrix detur minus valida et robusta. Rarius tantum, si laesae vel debilitatae sunt functiones abdominales, roborantia remedia et diaeta animalis suppeditanda sunt. — Omnia capitis integumenta removeantur et reticulum tantum sericeum, aut mitra lintea imponatur, ne affluxus sanguinis ad caput augeatur.

Mundities, uti in omnibus morbis necessaria est, ita hic maximopere observanda, ne morbus jam per se satis fastidiosus squalore et immunditie foedior reddatur, ne ad malum ipsum novum accedat incommodum, pediculorum innumerus exercitus, qui impetu suo pruritum jam vexantem fere intolerabilem reddant, ne denique morbus sub illuvie tuente libere queat luxuriari, sed locus affectus oculis medici aptisque medicamentis pateat. Itaque statim capilli, ubi tinea sedem habet, tonderi debent, ut quam brevissimi restent; tum crustae aqua tepida, aut aqua saponata, aut decoctis mucilaginosis, emollientibus dissolvendae et pectine, ne cutis laedatur, caute adhibito submovendae sunt. Si lotionibus non solvuntur crustae crassiores et spissiores, cataplasmata emollientia per plures dies imposita saepe hunc in finem sufficiunt; sed quando haec quoque non satis valent, dilutae solutiones alcalinae, aut mixtura acidi hydrochlorici cum multa aqua parata applicari possunt, quae quaquaversus penetrant. Quod cum factum est, caput lenibus indifferentibusque unguentis, oleo ovorum, butyro insulso, aut, quod Heister commendat, flore lactis illinatur, ne subito exsiccetur. Postea vero, cum crustae renatae sunt, eadem illa operatio repetenda caputque quotidie mundandum est.

Sed jam accedo ad curandi rationem, quae tineae furfuraceae, mucosae et granulatae respondet et sine multo discrimine in qualibet earum specie apta atque idonea est. Interdum hae tineae tam benignae sunt, ut lotiones tepidae ex aqua simplici, ex lacte, aut decoctis mucilaginosis paratae, quae non solum crustarum collectionem impediunt, sed inflammationem cutis affectae simul minuunt, totam curationem conficiant. Sed longius per tempus debent adhiberi. His in casibus morbus salutiferam organismo derivationem, reproductionis nimis auctae aut alius gravioris affectionis, praestare videtur et

cautissime agendum est, ne subito secretio illa supprimatur, cujus rei sequela metastasis erit, quae facile organa nobilissima, cerebrum, aut pulmones, aut cor, petere potest.

Quando irritatio major, pruritusque vehementior tineam comitatur, balnea tepida, emollientia demulcentem exercent vim; simul puerulis robustis et bene constitutis, plures annos natis, hirudines duae vel tres pone auriculam, aut ad processum mastoideum cum fructu apponuntur. Adultis adeo venaesectio interdum utilissima est.

Ubi exanthema malignius diu perstitit neglectumque magnos fecit progressus, crustis cataplasmate magno emolliente solutis, perversa cutis conditio lotionibus e kali carbonico acidulo, kali sulphurato aliisve paratis, mutanda est et corrigenda. Hic etiam thermae, aut balnea sulphurata, in quae totum corpus immittitur, multum proficiunt.

Contra tineam furfuraceam vir experientissimus Thomson maxime efficacem invenit lotionem, quam Barlow composuit ex kali sulphurati ʒj, saponis albi ʒijß, aquae calcis ℥vj et alcoholis ʒj. Contra eandem etiam laudatu digna est compositio, constans ex partibus aequalibus saponis albi et unguenti sulphurati: ex hac cum aqua calida spuma paratur, quae capiti illinitur.

Permulta praeterea in his tineis commendata sunt remedia, quorum aliqua enumerare liceat: Murray cicutam interne et externe adhibitam maxime celebrat, quae tamen vel in scrophulosis tineis raro tantum vim laudatam praestat. Vulgus decoctum herbae Nicotianae in promptu habet, sed hoc fere semper nocet, quia non caute circumspecteque adhibitum secretionem supprimit. Unguenta hydrargyri multa adhibentur, sed nimis fortia et periculosa sunt. Idem valet de illo unguento, quod Crampton indicat, constans ex acidi sulphurici ʒj et

adipis suilli ℥i. Pulvis Capuzinorum (pulvis Veratri albi), quia vehemens narcoticum est et facile veneficium inducit, rejiciendus. Sub finem morbi tamen, ubi internae causae cesserunt et tantum propter cutis laxitatem secretio materiae ichorosae perdurat, leniter exsiccantia prospero cum eventu administrantur; ita mitiora unguenta plumbi, zinci, aut, quod multo jure Heister laudavit, unguentum ex flore lactis cum lithargyro paratum: hoc enim reliquis praeferendum.

Interne initio alternis diebus laxantia praebeantur, praecipue calomelas cum radice Jalapae, infantibus admodum teneris autem syrupus Cichorei cum Rheo. Quod ubi factum est, usus Aethiopis antimonialis plurimum valet; incipiatur dosi grani unius, quae bis per diem, mane et vespere, detur; deinde autem dosis augeatur ad numerum tot granorum, quot annos infans natus est; adultis grana decem aethiopis ammonialis bis per diem exhibeantur. Quum vero aethiops antimonialis ventriculum ejusque functiones debilitare soleat, non purus cum saccharo praescribatur, sed stomachica addantur, optime quidem pulveris aromatici et Magnesiae carbonicae āā grana tria.

Tandem postquam tineae cesserunt et ulcera illa parva disparuerunt, per tempus aliquod defurfuratio epidermidis in capite remanet. Haec curationem non exigit, sed sponte desinit, quando cutis pristinum vigorem recepit, quod mox sine artis adjumento fieri solet. Calvities nunquam hos morbos sequitur, et si capilli defluunt, mox e sanis illaesisque bulbis regenerantur; neque hoc phaenomenon aliud quid est, quam si post quemvis graviorem et diuturniorem morbum propter virium magnam debilitationem in stadio convalescentiae capilli labuntur; nam hic etiam redeunte sanitate sua sponte mox renascuntur.

Jam vero accedo ad therapiam tineae favosae et annularis. Haec fere solis remediis externis constituitur; interdum tantum leviter laxantia in auxilium vocanda, aut, ubi vires prostratae organaque abdominalia valde debilitata sunt, ad classem tonicorum et amarorum confugiendum et praesertim ad extracta amara et ferrum; simul diaeta nutriens et animalis locum sibi vindicat.

Hic morbus rarissime sine artis auxilio sanatur; sed quo constantius omnes fere auctores consentiunt, internis medendi methodis contra ipsam affectionem parum profici, eo major moles medicaminum externorum est, quae omnibus temporibus vel pro specificis laudata sunt. Dolendum tamen est, quod plerumque fit, si contra unum morbum permulta specifica ita dicta commendata sunt, fere nullum eorum dictae notioni respondere.

Pulvis concharum praeparatarum in quibusdam plagis remedium est vulgo usitatissimum, quod brevi tempore, imo paucis diebus, tineam favosam sanasse dicitur. Applicatio ejusdem haec est: caput affectum lardo inungitur, tum pulvere concharum praeparatarum superinjecto vesica aliqua, in mitrae formam redacta, imponitur, quae post horas viginti quatuor modo demitur; deinde crustae decoctis emollientibus solvuntur, quo facto morbus sanari traditur. Alii vesicatoriis magnis in cervice, aut auctore Jaeger in brachio utroque positis, permultum tribuerunt, sed plus munditics simul observata profecisse his in casibus videtur, quam vesicatoria. Medici Angli unguentum sulphuratum cum hydrargyro praecipitato albo bis per diem infricarunt, aut, ubi major capitis pars laboravit, forte Nicotianae decoctum adhibuerunt. Satis prosperam vim haud raro praeparata alkalina exercent: kali carbonicum acidulum, natrum carbonicum acidulum, ammonium carbonicum etc., aut unguenti forma, aut aqua soluta, quibus defluvium crinium

adjuvatur. Huc pertinet etiam lotio Barlowiana supra laudata. Interdum aqua oxymuriatica vel calcaria chlorinica prospero cum eventu adhibitae sunt. Viris experientissimis, fratribus Mahon, arcanum suum ex Calcaria usta, silice alumine, oxydo ferri, kali carbonico et pulvere carbonum cum apta adipis copia constans multum praestitit. — Alii auctores vario cum fructu solutiones zinci sulphurici, cupri sulphurici, argenti nitrici, hydrargyri sublimati corrosivi, aut unguenta mercurialia, sulphurata, manganica etc. adhibuerunt. Celeberrimus Biett recentiori tempore de sulphure jodato experimenta instituit idque validissimum tineae favosae remedium invenit. Mane et vespere unguentum e sulphure iodato (℈i — ʒß) et adipe (℥i) superficiei morbosae infricatur. — In pertinacissimis et torpidissimis casibus, ubi cutis fere ad periosteum usque destructa est, cauterisatio per lapidem infernalem, butyrum antimonii, calcariam ustam, aut acida concentrata ad sistendum morbum proficit, sed tum semper calvities insanabilis remanet. Bernstein contendit, unguentum ex partibus aequis picis liquidae et sebo ovillo paratum summaque vi capitis cuti infricatum, donec omnes capilli defluxerint, sibi plurimum praestitisse: hunc tamen eventum non unguenti efficaciae, sed potius fortiori frictioni et capillorum inde exorto defectui adscribendum esse, verisimile est.

Antiquitus praestantissimum remedium, sed simul crudelissimum, galerus piceus fuit, cujus usus atrocissimus diu jam abrogatus est; sed modificatio ejusdem curandi rationis, etiam aliquid, quamvis parum, crudelitatis habens, nunc quoque floret et reliquis omnibus remediis praeferenda videtur. Primum galeri picei applicationem describam. Galerus, interna superficie pice obductus, calente adhuc pice, capiti omnibus crustis liberato imponebatur, tum post bi-

duum vel triduum aegrotus, dum mitra supra eum laqueo affixa erat, ex loco altiori in inferiorem saltu se dejicere debebat. Ita galerus subito cum multa vehementia a capite distrahebatur atque capilli pici refrigeratae inhaerentes e cranii cute evellebantur. Postea cataplasmatis emollientibus curatio facile finiebatur et crines, nisi nimis inveteratum malum esset, prorsus sani post tempus regenerabantur. Quamvis autem eventus optimus sit, tamen rusticitatem et crudelitatem hujus methodi nemo est, quin statim perspiciat. Itaque maxime necessarium fuit, ut haec methodus, quantum fieri posset, tam gravibus opprobriis liberaretur. Hoc igitur recentioribus temporibus ita factum est, ut non simul omnes capilli eruantur, sed sensim sensimque hoc perficiatur, qua re nec dolor tantus aegroto paratur, nec reactio justo major adducitur, nec timor hujus operationis tam vehemens excitatur. Itaque crustis plane solutis remotisque, capilli tondentur et in cutem affectam tria vel quatuor lintea, latitudine pollicis dimidii, longitudine pollicum complurium, emplastro optime et intime adhaerenti (1) obducta, alterum juxta alterum, a vertice peripheriam capillorum versus imponuntur. Tribus diebus elapsis capilli antea tonsi in ipsum emplastrum adhaesivum succreverunt. Tum illa lintea alterum post alterum a vertice ad peripheriam capillorum detrahuntur, ita ut capilli quasi accreti sequantur. Haec operatio eodem modo repetitur, donec totus locus affectus crinibus liberatus sit. Qui vero crines post eam in cute resident, accuratissime investigati et vulsella prehensi evellendi sunt. Hoc tamen non medici est facere, sed anus quaedam satis diligens huic operi exsequendo sufficit; medicus tan-

(1) Knackstaedt ad hunc finem emplastrum ex pice Burgundica, farina secalis et oleo olivarum compositum commendavit; cf. Baldingers Magazin für Aerzte Bd. VII. St. V. S. 441.

tum inspiciat, ne ullus pilus non evulsus remaneat. Post quatuor vel sex hebdomades tali ratione omnes crines funditus ablati morbusque deletus esse potest, nullo enim restante capillo, tinea favosa sola munditie observata per se sanatur. Et brevi tempore capilli novi, plane sani, e cute nuda succrescunt. Quando autem tinea favosa inveterata et per longum tempus neglecta perstitit, cutis cranii degenerat bulbique ipsi destruuntur. Talibus in casibus morbo quidem mederi possumus, sed capillis non regeneratis calvities totalis, vel partialis, per totam vitam insanabilis, restat.

Haec sola methodus tutam ubique et celerem tineae favosae et annularis praebet medelam inque nosocomio Caritatis tam evidenter probata est, ut praeter eam nullum unquam aliud remedium tentari necesse sit. Atque in hac urbe hunc in finem plures sunt anus multum exercitatae, quae crinibus vulsella extrahendis jam dudum occupantur, quibusque tales aegroti tuto tradi possunt. Celeberrimus Barez hanc optimam therapiam primus in nosocomio illo instituit et multas tineas favosas, quas per plures annos non sanatas ibi invenit, brevi tempore hac ratione sanavit.

Restat una tineae malignae species, ea scilicet, quae ex syphiliticis causis oritur. Haec maxime contagiosa est et curationem luis universalis postulat. Adultis calomelas, mercurius sublimatus vel hydrargyrum praecipitatum rubrum, infantibus hydrargyrum praecipitatum nigrum, calomelas, balnea cum sublimato parata, praescribuntur. Externe unguentum hydrargyri praec. alb., hydrarg. praec. rubri, unguent. hydrarg. cinereum, solutiones mercurii corrosivi huic tineae respondent. Summa tamen etiam hic necessaria est mundities.

LITERATURA.

Steger, dissertatio de tinea. Budae 1782.

Home, dissertatio de tinea capitis. Edinburg 1803.

Vogt, dissertatio de tinea capitis. Viteberg. 1805.

Heyne, dissertatio de tinea capitis. Viteberg. 1805.

Petersen, dissertatio de tinea capitis. 1825.

C. F. Mayer, diss. exhibens tineae pathologiam. Bonn 1829.

De Godenberg, diss. de tinea. Pesthin. 1819.

Oldenburg, de porrigine. 1762.

Murray, Progr. de medendi tineae capitis ratione. Goettingae 1782.

Gallot, recherches sur la teigne, suivies de quelques moyens curatifs, nouvellement employés pour la guérison de cette maladie. Paris 1803.

Hillairet, exposé des differens moyens employés dans le traitement de la teigne. Paris 1814.

Alibert, description des maladies de la peau. Paris 1816.

Mahon, recherches sur la siége et la nature des teignes. Paris 1829.

Rob. Willan, A practical treatise on porrigo or scalled head, and on impetigo, the humid or running tetter. London 1814.

Bateman, A practical synopsis of cutaneous diseases. London 1829.

Cazenave et Schedel, Praktische Darstellung der Hautkrankheiten. Weimar 1829.

VITA.

Arminius Fridericus Robertus Dietrich Staritzii anno MDCCCXV. die XX. mensis Januarii natus patre optimo Friderico, quem ex decem annis morte ereptum maxime lugeo, matre Dorothea, e gente Baltzer, evangelicae addictus sum confessioni. Primis literarum elementis imbutus gymnasium Portense, quod directore Doct. Kirchner florebat et etiamnunc floret, per annos quinque et dimidium frequentavi. Prae ceteris praeceptoribus viris summe venerandis maximeque de me meritis Kirchner et Schmieder sempiternas habebo gratias. Inde testimonio maturitatis munitus inter cives Instituti Friderico-Guilelmiani medico-chirurgici receptus sum et per quadriennium hisce interfui lectionibus:

Cel. Wolff de hodegetice, logice et psychologia; Ill. Link de historia naturali, botanice et methodologia; Cel. Turte de physice et pharmacia; Ill. Mitscherlich de chemia; Ill. Schlemm de osteologia, syndesmologia, splanchnologia; Ill. Müller de anatomia universa et de physiologia. In arte cadavera rite secandi Ill. Schlemm et Ill. Müller mihi duces fuerunt. Praeterea audivi: Ill. Fr. Hufeland de pathologia generali, semiotice et therapia tam generali, quam speciali; Cel. Eck de physiologia; Ill. Horn de pathologia et therapia, de morbis psychicis et syphiliticis; Ill. Osann de materia medica et de ope in subitaneo vitae discrimine ferenda; Cel. Casper de arte formulas concinnandi et de medicina forensi; Cel. Kluge de arte fascias rite imponendi, de ossibus fractis et luxatis, de chirurgia generali, de arte obstetricia, de akiurgia; Ill. Jüngken de akiurgia, de chirurgia speciali, de ophthalmiatrice; Ill. Hecker de Celsi libris et de historia medicinae; Cel. Froriep de anatomia chirurgica.

Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, obstetriciis, ophthalmiatricis, medico-forensibus interfui Ill. et Cel. virorum: Wolff, Beat. Bartels, Barez, Dieffenbach, de Graefe, Kluge, Jüngken, Wagner.

Denique praelectiones ad medicinam veterinariam spectantes adii: Cel. Gurlt de anatome animalium domesticorum; Dr. Spinola de equorum forma externa et habitu.

Quibus omnibus viris summas, quas habeo, gratias ago.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medicis, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis, dissertatione thesibusque publice defensis, spero fore, ut summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Quaevis ectopiae palpebrarum operatio, qua per cicatricem latam substantia augetur, rejicienda est.
2. Iracundia non est specifica icteri causa.
3. Primarius medicamentorum effectus nequaquam semper irritans.
4. Exanthematum acutorum curatio non datur, nisi contra febrem instituta.
5. Tutissima tineae favosae curatio in crinium evulsione constat.
6. Rarissime in typho abdominali hirudines apponendae.